

DIGRESSIO HISTORICA.

Quandam hæc particula Filioque addita fuit Symbolo. Ad art. 7. præcedentis Dissert.

IN Hispaniis primùm legitur hæc additio facta Symbolo in Conc. Toletano III. ann. 589. Ab Hispanis ad Gallos comenavit labente sæculo 8. legitur namquæ in Conc. Forojulien- si (de Frejus) ann. 791. & Francofordiensi ann. 794. constat etiam ex legatione missa a Concilio Aquisgranensi, & Carolo Magno ann. 810. ad Leonem III. ut hanc additionem, & morem cantandi Symboli cum hac additione probaret; quod utrum- que abnuvit Pontifex, ut dictum est supra. Hinc enim saltim pater, hanc additionem, & hunc morem ab aliquot annis jam viguisse in Gallia. In his convenient Historici. Sed quando hæc additio recepta fuit Romæ, & in tota Ecclesia Occiden- tali? Res est valde incerta. Ex facto Leonis III. improbanis hanc additionem (constat autem hoc factum ex Smaragdo, qui hujus collationis acta tunc temporis conscripsit, & quæ doctis- simus Sirmundus Tom. 2. Conciliorum Gallie inseruit: ex Ana- statio Bibliothecario in Leone III. ex Magistro sentent. l. 1. d. 11. & ex aliis) Ex hoc inquam facto

Colligo 1. hanc additionem non fuisse factam a Damaso Papa, & Conc. Romano, ut quidam scribunt, id quippe non ignorasset Leo III. & cognitum non improbasset. Symbolum autem, quod sub nomine Damasi inter opera S. Hieronymi legi- tur cum hac additione, pro suppositio habetur ab Eruditis. Colligo 2. S. Leonem magnum hanc additionem non permisisse Hispanis, ut videtur sentire Sylvius cum Baronio ex S. Leonis Ep. 93. id enim prochl dubio Galli, qui ab Hispanis hanc addi- tionem mutuaverant, allegasset Leoni III. quod ille non respuisset. Insuper in laudata Ep. S. Leonis, quæ est ad Turri- bium, habetur dumtaxat, Spiritum ab utroque procedere, sed nulla legitur data licentia hanc particulam Filioque Symbolo addendi. Colligo 3. neque hanc additionem factam fuisse in 2. Concilio Nicæno, in causa Imaginum ann. 787 seu paulo antè, ut contendebant quidam ex Latinis in Concilio Florent. ex vetustissimo codice, in quo legitur eo in Concilio Symbolum recitatum fuisse cum illo additamento. Nam 1. id non lausisset Leonem III. qui auctoritatem Concilii non despexisset. 2. Quia Græci non ausi fuissent hanc additionem tam perti- naciter impugnare, nec Latinos tamquam illius Auctores tot injuriis lacessere. 3. Quia Anastasius Bibliothecarius, qui post annos solium 70. hujus Synodi acta latinitate donavit, nullam hujus additionis mentionem facit. Et quibus nutat fides hujus vetustissimi codicis, de qua aliunde non constat.

At quando tandem Ecclesia Romana hanc additionem re- ceperit? Disputat Catholicus pro Latinis in Concilio Florent. Sess. 7. dicebat, Romanum Pontificem eam admisisse in magno Concilio Occidentalium: id dixerat antè ipsum S. Thom. hic

q. 36. art. 2. ad 2. sed, cum non dicant, quo tempore, & sub quo Pontifice fuerit celebratum istud Concilium, questio man- net insoluta.

Dico: Probabile est, hanc additionem factam fuisse a Ni- colao I. aut circa ejus tempora. Sedebat autem ann. 848. Prob. 1. ex Photio, qui in Ep. ad Orientales sedes primarias contra Nicolaum I. scripta: Præter illa, inquit, quæ commemoravimus absurda, sacrum etiam, & sanctum Symbolum... non sine incre- dibili audacia falsare aggressi sunt. 2. Ex Retramno Corbe- jensi Monacho, qui in l. 2. c. 2. pro Romana Ecclesia contra Græcos, quem Photius temporibus scripsit, agnoscit Photium vertisse crimini Nicolao I. & Romane Ecclesie, quod particu- lam Filioque Symbolo addiderint, sed criminationem diluit, & factum defendit: postquam enim ostendit, Synodos Nicænam, & Constantinopolitanam aliquo addidisse Symbolo Apostolo- rum, de particula sic Filioque sic pergit: sed neque Episcopo- rum 150. tanta constat auctoritas, ut quid illis liceat, non liceat tam Romano Pontifici, quam universis Christi Ecclesiis. 3. Ex S. Antonino, qui in Chronico 3. p. tit. 22. c. 3. n. 1. narrat, Photium exprobrasse Nicolao I. quod ob hanc addi- tionem anathema latum a Concilio Ephesino incurrisset. Idem testatur Manuel Calceas, & Pithæus lib. de process. Spiritus S. Ad hæc momenta indubie non attenderat Andreas Colos- sensis, cum in Conc. Florentino sess. 6. dixit, Photium nullam de Symboli additione fecisse mentionem contra Nicolaum Pa- pam.

Dices: In codice, qui servatur Romæ in Collegio Græco- rum, Epistolam, de qua in 1. Probat. non adscribit Photio, sed Sisinnio Patriarchæ Constantinopolitano, qui sedebat ann. 995. & Nicolaum I. in sua Ep. ad Gallos hanc de Symbolo crimina- tionem a Græcis sibi factam non referre. R. ad 1. unum co- dicem non evertere aliorum fidem, nec alia momenta allata. Ad 2. pariter solum Nicolai silentium tot disertis testimoniis non præponderare: est enim argumentum negativum, quod ni- hil valet contra plura positiva.

Nota: Quamvis probabile sit, a Nicolao I. sive circa ejus tempora hoc additamentum fuisse factum, nondum tamen tunc Symbolum cum illo additamento cantabatur universim in Eccle- sia Romana: id primum obtinuit sedente Benedicto VIII. circa ann. 983. a quo id obtinuit Henricus Imperator, ut observat Baronius ad hunc annum ex Bernone Augiensi.

At tandem, quod extrâ omnem controversiam est, in Conc. gener. Lugdunensi II. ann. 1274. Symbolum cum præfata additione Filioque solemniter fuit decantatum a Græcis, & La- tinis, ter repetitis his verbis, Qui ex Patre Filioque procedit; quamvis tamen tunc indultum fuerit Græcis, ut in suis Eccle- siis sine hac additione cantarent. Et postea in Conc. Florenti- no 1439. utriusque Ecclesie Græcæ, & Latine consensu, admis- so dogmate de processione Spiritus S. a Filio, additio hujus particule Filioque, facta Symbolo, fuit approbata, ut vidimus superius.

DISSERTATIO VI.

DE COMPARATIONE PERSONARUM AD ESSENTIAM, AD PROPRIETATES Personales, ad Actus Notionales, ad se invicem, & ad Creaturas.

Div. Thom. a Quæst. 29. 39. ad. 43.

POSTquam egimus de Personis, secundum se consideratis, restat ad complementum præsentis Tractatus agendum de illis comparativè consideratis. Quintuplex autem ex titulo distin- gui potest comparatio divinarum Personarum. Prima est ad essen- tiam, cum qua identificantur. Secunda ad proprietates per- sonales, seu relationes, quibus in esse Personæ constituuntur. Tertia in ordine ad actus notionales, qui a Personis emanant, & per quos emanant Personæ. Quarta ad se invicem. Quinta ad creaturas, quatenus ad eas mittuntur: quas quinque Perso- narum comparationes totidem questionibus, tractat Auctor. Nos verò, quia plura discussimus huc spectantia jam in præcedenti- bus, compendio tractabimus.

ARTICULUS I.

De Personarum comparatione ad essentiam. D. Thom. Quæst. 39.

QUÆ docet S. Thom. duobus primis art. hujus questionis 39. de identitate Personarum cum essentia, exposuimus art. 3. Dissert. 3. require ibi. Quæ docet quatuor articulis se-

quentibus de modo loquendi pluraliter, vel singulariter de divi- nis Personis, habes etiam sufficienter art. 5. Dissert. 4. Ut ta- men unum adjiciam, aut jam dictum magis explicem.

Queritur 1. Utrum nomina essentialia, id est, quæ essen- tiam, seu essentiam spectantia nudè significant absquæ insu- natione Personarum, prædicantur singulariter de tribus Per- sonis. (Hic q. 39. art. 3. o.) R. Si nomina essentialia signifi- cent essentiam substantivè, prædicantur de tribus Personis singulariter, & non pluraliter: si verò significant essentiam adjectivè, prædicantur de tribus Personis in plurali. Cujus ratio est: quia nomina substantiva significant aliquid per mo- dum substantiæ: substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel pluralitatem. Undè unitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur, non solum secundum suppositum, sed etiam secundum formam significatam per no- men. Nomina verò adjectiva significant aliquid per modum acci- dentis, quod inheret subjecto. Undè accidentia, sicut habent esse in & ex subjecto ita ex subjecto suscipiunt unitatem, vel pluralitatem, & idè in adjectivis attenditur singularitas vel pluralitas secundum supposita, seu subjecta. Quapropter ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio for-

forma & suppositi; ad multiplicationem autem nominis adjecti- vi sufficit multiplicatio solius suppositi, seu subjecti. Et idè in humanis Socratem, Platonem, Ciceronem dicimus tres homi- nes, & in divinis Patrem, Filium, & Spiritum S. non dicimus tres deos, sed unum Deum; quia in tribus suppositis naturæ humane sunt tres humanitates, in tribus autem Personis divinis est una divina essentia. E contra verò dicimus tres existen- tes, tres sapientes, tres æternos, tres increatos, si adjectivè sumantur, ut sumpsit Athanasius in Symbolo dicens: Totæ tres Personæ coeternæ sibi sunt, & coæquales. Si verò substan- tivè sumantur, dicimus unum increatum, unum immensum, unum æternum, &c. ut sumpsit idem Athanasius dicens: Non tres inæterni, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.

Dices: Deus significatur ut habens Deitatem, sicut homo significatur ut habens humanitatem; atqui tres Personæ sunt habentes Deitatem: ergo tres Dii. R. N. Conseq. Quia, licet Deus significet habentem Deitatem, est tamen alius modus signifi- candi; nam Deus dicitur substantivè, & habens Deitatem dicitur adjectivè. Undè, licet sint tres habentes Deitatem, non tamè sequitur, quod sint tres Dii; quia divinitas, quæ est forma significata non multiplicatur. (Ibid. ad 1.)

Queritur 2. Utrum nomina essentialia convenienter appro- prientur personis? (Ibid. a. 7. o.) Appropriatio, ut jam dixi Dissert. proem. art. 3. obj. 4. est attributio alicujus proprietatis essentialis, tribus Personis communis, facta tamè uni Per- sonæ ad ejus manifestationem. Undè aliud est proprium, aliud appropriatum. Illud dicitur proprium, quod ita tribuitur uni Personæ, ut non possit tribui alteri. Appropriatum verò id, quod est commune toti Trinitati, sed causa majoris manifesta- tionis tribuitur uni Personæ. Hoc notato ad questionem R. Affirmativè. Prob. Quamvis Trinitas Personarum demonstrati- vè probari non possit, ut dixi in Dissert. proem. art. 4. convenit tamè, ut per aliqua magis manifesta declaratur; atqui essentialia attributa sunt nobis magis manifesta per rationem, quam personarum proprietates; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus devenire in certam cogni- tionem attributorum essentialium, non autem in certam cogni- tionem proprietatum personalium. (Ibid.)

Dupliciter potest fieri appropriatio, vel manifestatio. Uno modo per viam similitudinis, sicut ea, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per intellectum: alio modo per viam dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, ut dicit Aug. quia apud nos Patris potentia esse mirum propter senectutem, ne tale quid suspicemur in Deo. (Ibid.)

Usus appropriationis admodum frequens est in Scripturis & SS. Patribus, secundum varias Dei considerationes. Deus nam- quæ potes considerari quadrupliciter, 1. Ut est ens. 2. Ut est unus. 3. Ut inest ei virtus ad operandum. 4. Ut habet habitudi- nem ad suos effectus: & secundum varias istas considerationes fiunt appropriationes a Scripturis & SS. Patribus. (Ibid. art. 8. o.)

Secundum 1. considerationem æternitatis juxta SS. Hilarium & Aug. appropriatur Patri, species Filio, usus Spiritui S. Æternitas enim, in quantum significat non esse principium, simili- tudinem habet cum proprio Patris, qui est principium de non principio. Species, sive pulchritudo habet similitudinem cum proprio Filii. Ad pulchritudinem enim tria concurrunt, integri- tas, proportio, & claritas coloris: Filius autem habet integrè naturam Patris, est perfecta illius imago, & est lux, & splen- dor intellectus. Usus verò habet similitudinem cum proprio Spi- ritui S. accipiendum usum lato modo, prout comprehendit sub se sui. Usus ergo, quod Pater & Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritu S. qui est amor. Diligit enim se Pater, & Filius Spiritus S. ut dicitur est (Ibid.)

Secundum quod Deus consideratur ut unus, appropriatur ab Aug. l. 1. de Doctr. Christiana cap. 5. unitas Patri, æqualitas Filio, concordia seu connexio Spiritui S. quæ tria important unitatem, sed differenter. Nam unitas absolute dicitur, non præsupponens aliquid aliud, & sic appropriatur Patri, qui non supponit aliquam personam, cum sit principium de non princi- pio. Æqualitas importat unitatem cum respectu ad alterum; nam æquale est, quod habet unam quantitatem cum altero, & idè æqualitas appropriatur Filio, qui est principium de princi- pio. Connexio autem importat unitatem aliorum duorum; undè appropriatur Spiritui S. in quantum est a duobus. (Ibid.)

Secundum 3. considerationem, qua in Deo sufficiens vir- tus consideratur ad causandum, appropriatur potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. Et hæc appropriatio fit, & secundum rationem similitudinis, si consideret, quod in di- vinis personis est, & secundum rationem dissimilitudinis, si con- sideret, quod in creaturis est, ne quid tale suspicemur in di- vinis personis. Nam potentia habet rationem principii, undè habet similitudinem cum Patre cœlesti, qui est principium totius divinitatis: deficit autem in Patre terreno propter senectutem

tem. Sapientia similitudinem habet cum Filio cœlesti, in quan- tum est Verbum, quod nihil est aliud, quam conceptio sapien- tiæ: deficit autem interdum filio terreno propter temporis pauci- tatem. Bonitas, cum sit ratio, & obiectum amoris habet similitu- dinem cum Spiritu divino, qui est amor; sed repugnantiam vi- detur habere ad spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quandam. Consequentè operationes, in quibus præ- cipue relict bonitas, ut est creatio mundi, appropriantur Patri. Operationes, in quibus maxime manifestatur sapientia, ut est reparatio, & redemptio mundi, appropriantur Filio. Et operationes, in quibus singulariter relict bonitas, ut est colla- tio gratiarum, Spiritui S. (Ibid.)

Secundum 4. considerationem, prout consideratur Deus in habitu- dine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio Ex quo, per quem, & in quo. Hæc enim præpositio Ex importat habitu- dinem quandam cause efficientis, quæ competit Deo ratione suæ potentie; undè appropriatur Patri, sicut potentia. Hæc verò præpositio Per, quatenus designat habitudinem formæ, per quam agens agit, sicut dicitur, quod artifex agit per suam artem, appropriatur Filio, sicut sapientia & ars. Hæc tandem præpositio In denotat habitudinem continentis; Deus verò res continet, non solum secundum earum similitudines, se- cundum quam continentiam appropriatur Filio, seu etiam quatenus Deus sua bonitate res conservat, & gubernat ad finem convenientem adducendo; & hoc modo ly In quo appropriatur Spiritui S. sicut bonitas. Variæ adhuc appropriationes præ- ter recensitas reperiuntur in Scripturis & Patribus.

ARTICULUS II.

De comparatione Personarum ad relationes, & ad Actus notionales. D. Th. q. 40. & 41.

ACTOR art. 2. hujus q. 40. probat, personas constitui, & distingui per relationes. Hoc nos præstissimus Dissert. 4. art. 2. require.

Queritur 1. Utrum in divinis relatio sit idem, quod perso- na? R. Affirmativè. (Q. 40. art. 1. o. & ad 1.)

In Deo sunt quatuor relationes reales, ut dixi Dissert. 3. art. 2. scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva. Tres, scilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, dicuntur proprietates personales, quia iis constituuntur persone. Quarta, scilicet Spiratio activa, dicitur proprietas, quia non in omni- bus personis convenit; sed non personalis, quia non constituit personam. Hæc autem quatuor relationes, tam personales, quam non personales, sunt idem cum persona, sed diverso modo.

Ad cuius (Ibid. ad 1.) intelligentiam considerandum est, quod propter divinam simplicitatem sit in divinis duplex realis identitas eorum, quæ differunt in rebus creatis: quia, cum di- vina simplicitas excludit compositionem formæ & materiæ, se- quitur quod in divinis idem est abstractum, & concretum, ut Deitas & Deus. Quia verò divina simplicitas excludit composi- tionem subjecti & accidentis; sequitur quod, quidquid attribui- tur Deo, est ejus essentia, & propter hoc sapientia, & virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secun- dum hanc duplicem rationem identitatis, proprietates, seu relatio in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, quæ abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipse personæ subsistentes, ut Pater- nitas est ipse Pater, & Filiatio Filius, & Processio Spiritus S. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis se- cundum aliam rationem identitatis, quæ ratione illud, quod attribuitur Deo, est ejus essentia: sic igitur communis Spiratio activa est idem cum persona Patris, & cum persona Filii, non quod sit una persona per se subsistens, sed sicut una essentia est in duabus personis, ita & una proprietates. Ex quo habes, quod relatio paternitatis, & relatio spirationis activæ in Patre sint idem secundum rem cum sola distinctione virtuali. Simili- ter relatio filiationis, & relatio spirationis activæ in Filio. Pro quo vide Dissert. 3. art. 2. Concl. 1.

Queritur 2. Utrum actiones notionales præintelliguntur proprietatibus, seu relationibus? Dixi: præintelliguntur, id est, secundum modum nostrum intelligendi; in re enim omnia sunt simul in Deo. Actus notionales sunt ipse origines, tam activæ, quam passivæ, scilicet generatio activa & passiva, spi- ratio activa & passiva. His notatis,

R. Origines passivæ sumptè simpliciter præcedunt secun- dum modum nostrum intelligendi relationes seu proprietates personarum procedentium; quia origo passivè significata signi- ficatur ut via ad personam, & ad ejus proprietates: sic genera- tio passiva seu nativitas in nostro intellectu præcedit filiationem, seu esse Filium, & similiter spiratio passiva prius intelligitur, quam esse Spiritus procedens. (Ibid. art. 4. o.)

Origines, seu actus notionales activè sumpti præcedunt



secundum intellectum proprietatem personalem seu relationem precisè ut est relatio, seu ut dicit purum respectum; quia relatio in quantum hujusmodi fundatur super actum. Secundum autem quod relatio seu proprietatis personalis est constitutiva personæ; sic præintelligitur ad originem activam; quia persona agens præintelligitur actioni. (Ibid.)

Ex quo inferes, utrumque verè dici: Quia generat, est Pater, & Quia est Pater, generat. Si enim per nomen Patris intelligatur precisè relatio ut purus respectus, verè dicitur, Quia generat, est Pater; quia relatio paternitatis sic sumpta sequitur ad generationem; & in ea fundatur. Si autem per nomen Patris intelligatur relatio ut subsistens, & constituens personam, verè dicitur: Quia est Pater, generat; quia relatio sic sumpta præintelligitur ad generationem activam, sicut persona prius intelligitur esse, quam operari. (Ibid. ad 1.)

Inferes 2. quod relatio seu proprietatis, non personalis, ut est spiratio activa in Patre & Filio, cum non possit considerari ut constitutiva personam, sed tantum secundum purum respectum, sit posterior secundum intellectum origine activa. (Ibid. o.)

Quæritur 3. Utrum actus notiones sint voluntarii? Sensus questionis est, utrum Pater voluntariè generet Filium; Pater & Filius voluntariè spirant Spiritum S. (Q. 41. art. 2. o. & ad 1.) Ad cuius intelligentiam notandum est, aliquid esse voluntarium; seu voluntate fieri posse intelligi dupliciter: uno modo voluntate concomitante; sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo, & mihi placet esse hominem. 2. Voluntate antecedente & principiante, seu voluntate habente se ut principium effectivum illius rei, quæ dicitur voluntariè; aut voluntate fieri; sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas ejus est principium operis. Rursus hæc voluntas antecedens potest considerari dupliciter; 1. ut natura, quatenus scilicet est alicujus rei principium naturale & necessarium; sicut homo vult naturaliter, & necessariò beatitudinem. 2. Ut voluntas, quatenus scilicet est principium liberæ, & cum indifferentia agens: hæc voluntate, Deus vult creaturas, nos media ad fidem. His præmissis,

R. 1. Actus notiones sunt voluntarii voluntate concomitante, ita ut secundum hanc voluntatem rectè dici possit, Patrem voluntariè generare Filium, Patrem & Filium voluntariè spirare Spiritum S. voluntate, inquam, concomitante; quia, sicut ea voluntate Deus vult se esse Deum, ita Pater vult se generare Filium, Pater & Filius vult se spirare Spiritum S. Non enim Pater invitus aut coactus generat Filium, neque Pater, & Filius invitus, & coacti producant Spiritum S. (Ibid. o.) Et juxta hunc sensum intelligendus est S. Hilarius l. 1. de Synodis, dùm dicit: Non naturali necessitate inductus Pater genuit Filium; pater ex præcedentibus: dicit namque: Non enim nolente Patre, vel coactus Pater, vel naturali necessitate inductus genuit Filium. Item & quod dicit Conc. Sardicense apud eundem, quod consilio, & voluntate Pater genuit Filium, voluntate scilicet concomitante (Ibid. ad 1.)

R. 2. Actus notiones non sunt voluntarii voluntate antecedente, considerata ut est voluntas, seu principium agendi liberè. (Ibid. o.) Prob. Voluntas, ut voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura est determinata ad unum; sed voluntas, ut voluntas, non est determinata ad unum. Cujus ratio est; quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem, quod unius rei non est nisi una forma naturalis, per quam res habet esse. Unde, quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est una tantum, sed sunt plures secundum quod sunt plures rationes intellectus: unde quod voluntate, ut voluntas est, agit, non est tale quale est agens, sed quale vult & intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas, ut voluntas est, principium, quæ possunt sic vel aliter esse: eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est a natura divina. Hinc Auctoris textum ex industria describere volui, ut lector videat in antecessum, quam alitè S. Doctor figat radices libertatis nostræ, de qua in 1. 2. Brevius namque dicere potuissem sic: Quod est a voluntate antecedente, ut voluntas & libera, potest non esse; atqui actus notiones non possunt non esse; neque enim Pater potuit non generare Filium, neque Pater, & Filius potuerunt non spirare Spiritum S. alioquin Filius & Spiritus S. possent non esse: ergo (Ibid.)

R. 3. Productio Spiritus S. est a voluntate antecedente ut natura est: non sic Filius: quia Spiritus S. procedit ut amor, consequenter per voluntatem, Filius procedit ut terminus illius voluntatis, quæ Pater & Filius se naturaliter, & necessariò diligunt; Filius ut terminus intellectus, seu dictionis paternæ (Ibid. ad 3.)

Dices 1. Pater modo nostro concipiendi vult prius generare, quam generet: ergo generatio Filii est etiam voluntaria voluntate antecedente ut natura. Prob. Ant. Absoluta, & es-

sentia secundum modum nostrum concipiendi sunt priora notionalibus; atqui velle generare est absolutum & essentialè: ergo. Ità censet Cajetanus. R. N. Ant. Quia juxta Auctorem Pater generat Filium voluntate, sicut voluntate est Deus, est autem Deus voluntate concomitante tantum, & non antecedente. Ratio est; quia modo nostro concipiendi actus intellectus est prior actu voluntatis, nihil enim volumus, quin præcognitum: prius ergo Deus intelligit generationem, quam illam velit: ergo prius generat, quia intelligendo generat. Ad prob. in contrarium, R. esse veram duntaxat de illis, quæ sunt purè essentialia, velle autem generare non est purè essentialè, cum includat notionale, scilicet generare, ut objectum (Ibid. o.)

Dices: Solus Filius in divinis procedit per modum nature: ergo Spiritus S. non procedit a voluntate, ut natura est. R. N. Conseq. Aliud est enim procedere per modum nature, aliud procedere a voluntate, ut natura est. Procedere per modum nature dicitur, quod procedit sicut ea, quæ in creaturis a natura procedunt, & non a voluntate; quod autem procedit a natura, non supponit aliam actionem nisi per accidens, in quantum scilicet unum agens naturale dependet ab alio; quod autem procedit a voluntate ut natura, perse & semper supponit aliam processionem, quia voluntas non tendit in aliquid nisi præexistente productione intellectus aliquid concipientis. Unde Spiritus S. procedens ut amor necessarius procedit a voluntate antecedente ut est natura, sive procedit per modum voluntatis; non tamen procedit per modum nature (Q. 10. de pot. art. 2. ad 4.)

ARTICULUS III.

De Comparatione Personarum ad invicem. D. Th. Q. 42.

Quæritur 1. Utrum personæ divinæ sint sibi coæquales? Juxta Philosophum 5. Metaph. unum in substantia facit idem, unum in quantitate facit æquale, unum in qualitate facit simile. In Deo autem non est quantitas molis, nec qualitas propriè dicta, quæ est accidens. Est tamen quantitas virtutis, quæ attenditur penes perfectionem essentiali: In his enim, quæ non mole magna sunt, inquit Aug. 6. de Trinit. cap. 8. hoc est majus esse, quod est melius esse. Similiter, quæ significantur per modum qualitatis, ut sapientia, misericordia, &c. inveniuntur in divinis (Q. 42. art. 1. ad 1. & in 1. d. 19. q. 1. art. 1. o.) His notatis, ad questionem R. Personæ divinæ sunt sibi coæquales. Est de fide. Ad Philipp. 2. de Christo dicit Apostolus: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Item in Symbolo S. Athanas. & capit. Firmiter de summa Trinitate (Ibid.)

Ratio est 1. æquale dicitur per generationem majoris & minoris; atqui in Deo non est majus & minus: ergo. 2. Inæqualium non potest esse una quantitas numero, quantitas autem in Deo non est aliud, quam ejus essentia: ergo, si esset aliqua inæqualitas in divinis personis, non esset in eis una essentia, & sic non essent tres personæ unus Deus, quod est impossibile: ergo. (Hic cit.)

Hinc inferes 1. Personas esse æquales in magnitudine & potentia. In magnitudine, quia magnitudo Dei nihil est aliud, quam perfectio nature: est autem eadem perfectio nature in omnibus, cum sit eadem numero natura, & aliunde virtus generativa Patris non est defectiva, nec Filius successivè ad perfectionem pervenit. In potentia, quia potentia agendi consequitur perfectionem nature: est autem eadem perfectio nature, ut dicitur est. (Ibid. art. 4. & 6. o.) Inferes 3. tres Personas esse coæternas, quia producunt ab agente, cujus virtus agendi est semper perfecta, & instantanea. Adde, quod tam intellectus, quam voluntas in Deo sint semper in actu: ergo nunquam intellectus caruit Verbo, nec voluntas amore, seu Spiritu S. Aliquale hujus coeternitatis vestigium habes in sole, a quo procedit splendor, & tamen est illi coævus, ita ut nullum sit instans, in quo fuerit sol, & non splendor. (Ibid. art. 2. o.) Inferes 3. (Ibid. art. 1. ad 2.) tres Personas etiam esse sibi similes; quia, ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtutis, æqualitas includit in se similitudinem & aliquid plus, quia excludit excessum. Quæcumque enim communicant in una forma, possunt dici similia, etsi inæqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aer similis igni in calore; sed non possunt dici æqualia, si unum altero perfectius illam formam participet. Unde omnia æqualia secundum quantitatem virtutis sunt similia; sed non omnia similia sunt æqualia. Et quia non solum est una natura Patris & Filii, sed etiam æquè perfecta est in utroque, idè non solum dicimus Filium esse similem Patri, ut excludatur error præ Ariariorum, qui dicit sunt Eunomiani, negantes Filium esse similem Patri; sed etiam dicimus æqualem, ut excludatur error semi-Ariariorum, qui dicebant Filium Patri similem, sed negabant æqualem & consubstantiallem, seu homousionem. Et quia, ut dicitur est, simile non est sem-

semper æquale, idè vox similis seu homousios sola rejecta fuit in tempore Ariarismi; fuit tamen etiam quandoquæ admisa in illis, qui dicebant Filium per omnia Patri similem; & consubstantiallem seu homousionem quoad vocem tantum negabant propter novitatem, sensum autem admittebant, ut videmus in 1. Digress. hist. sect. 2. ad Dissert. proœm. Argumenta, quæ opponi possunt contra responsiones & illationes, hinc, & inde præoccupavimus, eaque videri possunt in Auctore. Æqualitatem autem, & similitudinem non esse relationes reales in Deo probavimus contra Scotistas Dissert. 3. art. 2. Vide.

Quæritur 2. Utrum in divinis Personis sit ordo nature? (Ibid. art. 3. in arg. 1. c. & o.) R. affirmativè. 1. Quia ubicumquæ est pluralitas sine ordine, ibi est confusio; sed in divinis Personis non est confusio: ergo. 2. Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium: unde, sicut dicitur principium vel secundum situm, ut punctum, vel secundum intellectum, ut principium demonstrationis, vel secundum causas singulas, ita etiam dicitur ordo; atqui in divinis est principium secundum originem absque prioritate: ergo est ordo secundum originem absque prioritate & posterioritate etiam nature: quod enim altero natura posterior est, debet ejus natura ab altero natura dependere; quod non potest dici de divinis personis, quæ omnia una est natura. Quapropter hic ordo vocatur ab Aug. 1. 3. contr. Maximian. cap. 14. ordo nature, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

Quæritur 3. Utrum admittenda sit divinarum Personarum circummissio? Circummissio est mutua divinarum Personarum coexistentia in se invicem, ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu S. & Spiritus S. in utroque. R. affirmativè. Est de fide. Sic Christus Joann. 14. dicit: Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est. Et passim SS. Patres; Tertull. contr. Prax. cap. 25. Hilarius 8. de Trinit. Cyrillus Alexand. l. 9. in Joann. cap. 59. Ambros. l. 10. in Luc. ad cap. 20. Hieron. in cap. 3. Ezechiel. Aug. 6. de Trinit. cap. ult. & alii. (Ibid. art. 3. o. & 4. c. g. c. 9.) Ratio est; quia plures personæ a se invicem distinctæ, ita tamen quod una numero sit illarum natura indivisibilis, quæcum identificatur, necessariò in se invicem existunt; atqui tres personæ divinæ sunt a se invicem distinctæ, ita tamen quod una numero sit earum natura cum illis identificatas ergo necessariò una est in alia, & e converso. (Ibid.)

Vides, ad circummissionem duo requiri. Primum, distinctionem suppositorum: idem enim suppositum non dicitur esse in seipso, nisi improprie ratione partium, quod non habet locum in divinis. Secundum, unitatem numericam essentiali; si enim diversa esset essentia, plus perfectionis esset in omnibus, quam in uno, & minus in uno, quam in omnibus; quod etiam non convenit divinis personis.

Dices: unum oppositorum non est in alio; atqui Pater & Filius opponuntur relative: ergo non est in alio. R. D. Maj. unum oppositorum formalitè, & quæ oppositum non est in alio. C. Maj. identice ratione alicujus utriusque communis, N. Maj. & data Min. D. Conseq. ergo unum non est in alio formalitè, & attenda oppositione relativa, C. Conseq. identice ratione ejusdem essentiali ipsi relationali identificata, N. Conseq. Et hinc sequitur, quod, quamvis Paternitas sit in Filio, & e converso Filio in Patre, non tamen Filius sit Pater, neque Pater sit Filius; quia Paternitas non constituit Patrem quamcumque personam, in qua est quocumque modo; sed eam, in qua est per modum forme constitutivæ seu proprietatis personalis; non est autem in Filio per modum forme constitutivæ seu proprietatis personalis, sed per identitatem cum essentia. Similiter de Filiatione respectu Patris, & de Spiratione respectu Spiritus S.

ARTICULUS IV.

De missione divinarum Personarum. D. Th. Q. 43.

Quæritur 1. utrum alicui divinæ personæ conveniat mitti? R. affirmativè. Joann. cap. 3. dicitur: Misit Deus Filium suum in mundum. Cap. 6. Christus de se ipso: Misit me vitæ Pater. Cap. 8. Non sum ego solus, sed ego; & qui misit me Pater. De Spiritu S. ib. cap. 14. Spiritus S. quem Pater mittet nomine meo, Et cap. 15. Paraclæus, quem ego mittam vobis. (Q. 43. art. 1. o.)

Ratio est: In (Ibid.) ratione missionis duo importantur, quorum unum est habitudo ad eum, a quo mittitur; aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur: per hoc enim quod aliquis mittitur, ostenditur processio quadam missi a mittente, vel secundum imperium, sicut Dominus mittit servum vel secundum consilium, & suasionem, ut si consiliarium dicatur mittere Regem ad bellandum, aut medicus ad balnea; vel secundum originem, ut si dicatur, quod ficus emittitur ab arbore, splendor a sole. Item ostenditur habitudo ad terminum, ad quem mittitur, vel ut ibi esse incipiat, ubi prius non erat. Theol. Biluati. Pars VI. esse

vel ut incipiat esse aliquo novo modo, quo prius non erat: atqui, sicut missio convenire non possit divinæ personæ secundum imperium, aut consilium, potest tamen convenire secundum quod importat processionem originis a mittente. Item, sicut ex parte termini non possit convenire secundum quod importat esse, ubi prius non erat, potest tamen convenire secundum quod importat novum modum existendi in alio: sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incipit in mundo esse novo modo per carnem assumptam, & tamen antè erat in mundo, ut dicitur Joann. 1. ergo.

Hinc inferes 1. missionem divinarum personarum posse definiri sic: Processio originis unius personæ ab altera cum novo modo existendi in alio. Inferes 2. Patrem non mitti, quia a nullo procedit: potest tamen dari; quia quamvis nemo se mittere possit, potest tamen se dare. (Ibid. art. 1. o. & ad 1.)

Inferes 3. (Ibid. art. 8. o. & opusc. 1. cap. 14.) non quamlibet personam mittere, si sumatur missio proprie, & adæquate, sed solum illam, cui convenit esse principium illius, quæ mittitur; quia, ut dictum est, missio proprie, & adæquate sumpta duo importat, scilicet originem personæ missæ a mittente, & habitudinem ad terminum ad quem mittitur; & sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus S. a Patre & Filio. Si autem sumatur missio improprie, & inadæquate pro sola habitudine missi ad eum a quo mittitur; tunc dici potest, quod tota Trinitas mittat, quia tota Trinitas hunc effectum operatur. Et secundum hunc sensum intelligendus est Aug. 2. de Trinit. cap. 5. ubi istud Isaie 48. Misit me Dominus Deus & Spiritus ejus, interpretatur de persona Verbi, quam dicit fuisse missam a Spiritu S. ut incarnaretur. Plures tamen interpretantur de humana Christi natura, secundum quam missus est a Spiritu S. ad prædicandum.

Quæritur 2. utrum missio dicenda sit æterna, an temporalis? R. dicendam (Ibid. art. 2. o.) esse temporalem tantum, quia præter habitudinem ad principium æternum, dicit habitudinem ad terminum temporalem, per quem completur in ratione missionis: ergo dicenda est temporalis tantum: sicut creatio, quamvis ejus principium sit æternum, quia tamen effectus, quem connotat, est temporalis, non dicitur æterna, sed temporalis. (Ibid.)

Quæritur 3. utrum missio invisibilis divinarum personarum sit solum secundum donum gratiæ sanctificantis? Nota autè responsionem, missionem ex parte termini sui effectus temporalis, quem connotat, dividi in visibilem & invisibilem. Visibilis est, quæ fit aliquo effectu vel signo sensibilis manifestante personam missam, ut quando Verbum missum est, ut incarnaretur, quando Spiritus S. missus est in Apostolos sub specie ignis. Missio invisibilis est, quæ fit in aliquo effectu spirituali & invisibili, qualis fit in justificatione peccatoris per donum gratiæ. Differunt autem istæ missiones: 1. quod in missione visibili mittatur una persona, & manifestetur sine altera; in missione verò invisibili duæ personæ procedentes mittantur, & quamvis Pater non mittatur, venit tamen, & se communicat animæ cum aliis, juxta illud Christi Joann. 14. Si quis diligit me, Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 2. Quod missio visibilis possit fieri per quamlibet rem visibilem; invisibilis autem per solum donum supernaturale in anima productum; & cum sint variæ donum supernaturalia, ut gratia gratum faciens, auxilium actuale, gratia gratis data, donum fidei, &c. Quæstio est, an solum secundum donum gratiæ gratum facientis, seu sanctificantis, sit missio invisibilis; sive an solum per gratiam sanctificantem anima disponatur & perficiatur, ut sit idoneum templum; & habitaculum divinæ personæ missæ; non enim in missione sole gratiæ mittuntur, aut dantur, ut dicam modò, sed ipsæ personæ divinæ. His notatis, ad questionem

R. Affirmativè: Quia (Ibid. art. 3. o.) tunc personæ divina mittitur, quando novo modo existit in alio; atqui per solum gratiam sanctificantem persona divina novo modo existit in homine; ergo. Major patet ex definitione missionis. Prob. Min. Communis modus, quo Deus est in omnibus creaturis, est per immensitatem, scilicet per essentiali, præsentiam, & potentiam, ut diximus alibi: præter autem istum modum communem est unus specialis, qui convenit nature rationali, quo Deus dicitur esse in illa ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, quando scilicet creatura rationalis habet Deum invisibiliter sibi præsentem per gratiam, & charitatem; & efficitur templum Dei, atque ejus habitaculum; atqui id non fit nisi per gratiam sanctificantem & charitatem, qua homo sic habet Deum ut illo tanquam amico possessio uti, & frui liberè possit.

Dices: Deus novo modo existit: 1. in Peccatoribus fidelibus per fidem, & dilectionem naturalem. 2. in Peccatoribus poenitentibus per gratias actuales moventes illos ad actus contritionis, 3. in summo Pontifice, & Conciliis per assistentiam



specialem in rebus fidei definiendis : ergo. R. Hos tres modos non recedere a modo communi existendi in alio per immensitatem, nisi secundum quid, & imperfecte; neque attingere novum illum, & specialem modum existendi in alio tanquam in habitaculo, & templo, & quo res existens ita habetur, & possidetur ab alio, ut iste alius illa uti, & frui liberè valeat: hoc quippe non habetur nisi per charitatem, & perfectam amicitiam. Per fidem autem, & dilectionem naturalem etsi Deus sit in anima ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, non tamen cognitione, & amore ex charitate, & perfecta amicitia procedentibus, qua amans ita habet, & possidet amatum, ut illo frui liberè possit. Per gratias actuales, quibus Spiritus S. movet poenitentem ad actus contritionis, nondum habitat in illis, ut dicit Trident. sess. 14. cap. 4. sed dumtaxat stat ad ostium, & pulsat. Similiter per illam assistentiam specialem, quæ datur SS. Pontifici, & Concilio in definiendis rebus fidei, movet quidem Spiritus, & dirigit intellectum, ne erret, sed non inhabitat; unde, ut dixi, isti modi non recedunt nisi secundum quid, & imperfecte a presentia generali, quo Deus est in omnibus per operationem.

Ex his colliges, triplicem fieri in homine missionem invisibilem divinarum personarum: Primam, in prima hominis justificatione: Secundam, in quolibet augmento gratiæ: Tertiam, in beatitudine, in qua Deus novo, & speciali modo erit in anima per unionem suæ essentia in ratione speciei intelligibilis.

Quæritur 4. Utrum per missionem invisibilem personæ divinæ fiant substantialiter præsentia animæ, ita ut si per impossibile non essent substantialiter præsentia per immensitatem, forent nihilominus ratione doni gratiæ sanctificantis? R. affirmative. (Ibid. & ad 1.)

Prob. 1. Ex Scriptura. Ad Rom. 5. dicitur: Charitas Dei



TRACTATUS DE ANGELIS.

D. Th. a Q. 50. ad Q. 64. & a Q. 106. ad Q. 114.

POST considerationem divinarum personarum agit S. Th. de processione creaturarum a Deo. Et 1. Q. 44. agit de ipsa causa creatæ, quam probat esse Deum. Q. 45. agit de prima creatione; & ostendit, quod creare sit facere ex nihilo, quod soli Deo competit; & quod creati sit proprium subsistentium, & habentium esse. Q. 46. agit de tempore, quo creaturæ a Deo processerunt, & ostendit nullam fuisse ab æterno, sed omnes incepisse in tempore. Verum, quia hæc tractari solent in Philosophia, illuc lectorem remittimus. Q. 47. & sequentibus usque ad finem hujus 1. partis agit de ipsis rebus a Deo procedentibus. 1. De creatura purè spiritali, quæ nominatur Angelus. 2. De creatura purè corporali. 3. De creatura composita ex corporali, & spiritali, quæ est homo: in quibus omnibus spatium atque discutere in deliciis habebimus, nisi plura alia, & utiliora nos expectarent. Ne igitur opus ultra finem præstitutum exrescat, soli Tractatui de Angelis, communis in Scholis traditi solito, insistere, eumque contracte parùm calamo exponere cogimur. Unde sit

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA, ET QUIDDITATE ANGELORUM.

D. Thom. Quest. 50. 51. & 61.

Angelus est vox græca, idem significans quod latine Nuntius. Unde, si vis vocabuli attendatur, est nomen officii, non naturæ: & ideo quandoque tribuitur in Scripturis cuiusque, qui Dei voluntatem, aut legem nuntiat: sic de Joann. Baptista, Malach. 3. & Matth. dicitur: Ecce ego mitto Angelum meum. Et Apost. 1. Cor. 11. præcipit velari capita mulierum propter Angelos, id est Sacerdotes.

Attamen, quia ministerium nuntiandi communiter committitur a Deo Spiritibus celestibus, usu receptum est, ut hoc nomen usurpetur ad significandas illas spirituales substantias hominibus superiores; & cum inter illos sint diversi ordines, quandoque significat eos, qui sunt in infimo ordine, quandoque generaliter omnes, qui continentur in novem ordinibus. Et hoc modo hic sumimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sint Angeli?

Deo: Certè (Hic q. 50. art. 1. o.) constat, esse Angelos. Est de fide contra quosdam antiquos Philosophos, & Sadduceos, qui, ut refert S. Luc. act. 23. dicebant, Non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.

diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis; ubi distinguitur inter charitatem datam, & spiritum datum: frustra autem Scriptura inter utrumque distingueret, si Spiritus non esset substantialiter præsens, sed tantum in dono charitatis.

2. Propter hujusmodi presentiam ratione doni gratiæ sanctificantis justus dicitur templum Dei 1. Cor. 3. Nescitis, quia templum Dei estis: Et statim: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc autem verificari non potest de donis gratiæ, quibus non consecratur templum, sed solis divinis personis.

3. Divinæ personæ per missionem invisibilem ratione doni gratiæ sanctificantis sunt aliter præsentia animæ, quam per immensitatem: alioquin, quotiescumque aliquid produceretur in anima, diceretur miti, si quidem sint substantialiter præsentia per immensitatem ubicumque aliquid producit; atqui, nisi specialiter sint præsentia substantialiter animæ, ratione doni gratiæ sanctificantis, erunt tantum præsentia per immensitatem, quatenus nempe producerent aliquem effectum in anima: ergo.

Ad id, quod objicit ex Chrysost. hom. de Spiritu S. quam citat Sylvius ex sine tom. 3. edit. Paris. anni 1570. responderetur, quod loquatur S. Doctor contra Hæreticos, qui volebant Spiritum S. miti ut servum, & dari ut accidens; quod merito negat.

Si objicias insuper, Deum per gratiam esse in justo ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, cognitum autem esse in cognoscente, & amatum in amante objective tantum, & non substantialiter. R. per gratiam sanctificantem sic Deum esse in cognoscente & amante, ut cognoscentis, & amans sit ejus templum, & eo liberè fruatur; ad quod non sufficit presentia objectiva, sed requiritur substantialis.

quæ sunt liberi arbitrii, cum potuerint peccare: ergo intelligentes. 3. Esse superiores hominibus. Ps. 8. Propheta loquens de homine: Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Et 2. Pet. 2. Angeli cum fortitudine, & virtute sunt majores: ergo. Sed quia Sadducei, teste Hieron. in cap. 22. Matth. non admittebant nisi quinque libros Moysis, refulentur sufficienter ex Genes. 3. 16. 19. 21. 22. 28. Exod. 14. 23. & alibi. Quod autem respondent Sadducei, Angelos, de quibus fit mentio in Pentateucho, non esse spirituales substantias, sed cogitationes immixtas a Deo, ita ut juxta ipsos Angelus, qui Genes. 22. prohibuit Abraham, ne occideret Isaac, nihil aliud fuerit quam inspiratio cælitus immixta, planè contortum est, & vim apertam facit Scripturæ. Enimvero Cherubim, quem Deus collocavit ante paradysum voluptatis Genes. 3. Angeli, qui venerunt vespere Sodomitam ibid. cap. 19. Angeli, quos Jacob vidit ascendentes, & descendentes, ibid. cap. 28. Angelus, quocum luctatus est, Angeli tandem, qui narrantur miracula patrasse, præesse hominibus, & Filios Israël perduxisse in deserto, certo non erant mere cogitationes, sed veræ substantiæ viventes, & intelligentes. Si dicas: Moyses in descriptione creationis non meminit Angelorum: ergo non dantur. R. Dato Antecedente, de quo modo, N. Consequ. quia alibi meminit.

Prob. 2. ex Patrib. S. Aug. in illud Ps. 103. Qui facis Angelos tuos spiritus, dicit: Esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scripturam legimus: nec inde dubitare fas vobis est. Spiritus autem Angeli sunt: & cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum verò mittuntur, sunt Angeli. Angelus enim nomen officii est, non naturæ. Queris nomen hujus naturæ? Spiritus est. Queris officium? Angelus est. S. Greg. Mag. Hom. 34. in Evang. Angelos, & Archangelos penè omnes sacri eloqui paginas testantur.

Prob. 3. ratione. Ad (Ibid.) perfectionem Universi requiritur, quod sint quedam substantiæ spirituales, & intellectuales: ergo Angeli. Patet Consequ. quia præter Angelos nulla est assignabilis substantia spiritualis, & intellectualis; quod enim posset opponi de anima rationali diluam modo. Prob. Ant. Ad perfectionem Universi requiritur, quod sint aliquæ creaturæ, quæ perfecte assimilentur Deo, non assimilatione univoca, sed analogæ, & in quantum possibile est in creaturis; hæc enim assimilatio est bonum, quod Deus in rebus creatis intendit. Atqui in solis substantiis spiritualibus, & intellectualibus hæc assimilatio perfecta, quantum possibile est, reperitur: ergo. Prob. Min. Perfecta assimilatio, quam causa in suo effectu intendit, est, ut effectus imitetur illam secundum id, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum; atqui id, per quod Deus causat, est intellectus, & voluntas: ergo in solis substantiis spiritualibus, & intellectualibus hæc assimilatio perfecta reperitur.

Confirmatur. Ad (Ibid. & supr. q. 22. art. 4.) perfectionem Universi requiritur, quod sint in eo creaturæ, quæ assimilentur Deo omnibus modis, quibus ei similes esse possunt, non quidem specificis, & particularibus; hi enim sunt infiniti; sed communibus, & genericis, qui sunt tres, scilicet esse, vivere, & intelligere. Universum enim ex propria ratione, ut nomen ipsum indicat, petit universitatem quamdam omnium creaturarum possibilem a Deo, saltè secundum gradus communes, quibus illi assimilari possunt: ergo ad perfectionem Universi requiritur, quod sint quedam substantiæ intellectuales, quas dicimus Angelos.

Si dicas, dari animam rationalem, quæ assimilatur Deo quoad gradum intellectivum. R. 1. Animam rationalem non esse naturam totalem, & substantiam completam, sed partem tantum naturæ, & formam incompletam. 2. Licet anima sit spiritalis quoad substantiam, valde tamen imperfectè participat gradum intellectivum; tum quia est corpora quoad modum, utpotè forma corporis; tum quia in intellectione pendet a sensibus, & phantasmatibus: esset autem inconveniens, quod gradus inferiores forent perfecti, & completi, & supremus omnium esset imperfectus, & incompletus.

Prob. 4. (Q. 6. de malo art. 1.) Experientia videmus, homines arreptios, rusticos, & mulierculos loqui variis idiomatibus, Latinis, Græcis, Hebraicis, quæ prorsus ignorant, secreta hominum etiam longè distantium pandere, & varia alia mirabilia patrare, quæ certò superant vires humanas. Atqui hæc non sunt a Deo specialiter, & miraculose movente, cum quandoque sint mala, & valde indecentia: non ab animabus separatis, non enim est ratio cur possent plus extra corpus quam unitæ corpori, cum in corpore habeant suam perfectionem; non ab aliqua causa naturali, nulla enim assignari potest: ergo ab Angelo malo, seu demone: & inde coacti sunt alii Philosophi ponere demones esse.

Oponi solet, quod dixit Aug. q. 54. inter 83. scilicet, Necquicquam est melius rationali anima, nisi Deus. Et lib. de quant. animæ cap. 4. dicit: Imè omnia creata animam esse. Deo Theol. Billuani. Pars Prima.

propinquissimam. R. Aug. per animam intellexisse substantiam spirituales; sin minus, id retractasse l. 1. Retract. cap. 26. ubi ait: Quod dixi: quod est omni anima melius, id Deum dicimus; magis dici debuit omni creato spiritu melius. Alundè Augustinum fide tenere esse Angelos, constat ex Probationibus Conclusionis.

ARTICULUS II.

Quando, ubi, & in quanto numero Angeli sint creati?

Titulus supponit, Angelos esse creatos; quod constat esse de fide ex 1. probat. præcedentis concl. & probat S. Th. art. 1. q. 61.

Circa primum.

Dico 1. (Hic q. 61. art. 2. o.) Angeli non sunt producti a Deo ab æterno: 1. Quia Proverb. 8. ex personâ sapientiæ genitæ dicitur: Dominus possedit me ab initio vitarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Sed Angeli sunt facti a Deo, ut dictum est: ergo Angeli aliquando non fuerunt. 2. Solus Deus est æternus, hoc fides Catholica indubitanter tenet, & omne contrarium ut hæreticum rejicit: sic enim Deus creaturas produxit, quod eas ex nihilo fecit, id est, postquam nihil fuerat.

Dico 2. (Ibid. art. 3. o.) Circa tempus creationis Angelorum invenitur duplex SS. Doctorum sententia: Doctores Græci eos ante mundum, alii cum ipso mundo fuisse creatos, asserunt. Illa tamen sententia probabilior videtur, quæ dicit Angelos simili cum creatura corporea esse creatos; quia Angeli sunt quedam pars, non enim constituunt per se unum Universum; quod apparet ex ordine unius creaturæ ad aliam; ordo enim rerum ad invicem est bonum Universi. Atqui nulla pars est perfectæ a suo toto separata: ergo non est probabile, quod Deus, cujus perfecta sunt opera, creaturam Angelicam seorsim ante alias creaturas creaverit.

Favet Scriptura Exod. 20. Sex diebus fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Sunt autem Angeli in mundo, & in cælo. Et Eccl. 18. Creavit omnia simul, non quidem simultate instantanea, sed simultate temporis non discontinuat. Intelligit etiam omnia quoad species; nam individua animæ rationalis quotidie creantur. At præcipue probat conclusionem definitio Concilii Later. IV. supra cit. qua decernitur, Deum simul ab initio temporis condidisse creaturam Angelicam, & mundanam.

Occasione hujus Decretalis quærentur Theologi, utrum sententia contraria Græcorum sit nunc censenda erronea? Respondet negativè hic S. Doctor (Ibid.) maxime propter sententiam S. Greg. Nazianz. cujus tanta est in Doctrina Christiana auctoritas, ut nullus umquam ejus dictis calumniam inferre præsumperit. Et opusc. 23. exponens dictam decretalem dicit, Concilium intendisse tantum proscribere duos errores; alterum Aristotelis, ponentis animas esse ab æterno; alterum Origenis, dicentis, quod Deus intenderit per se tantum creare spirituales creaturas; his autem peccantibus, postea per accidens, & secundario creaverit corpora, quibus quasi vinculis spiritualis substantiæ in penam alligarentur. Quapropter, quod dixit simultate temporis condidisse naturam Angelicam, & mundanam, dixit incidentèr, non intendens damnare PP. Græcorum opinionem; quod autem in Concilio dicitur incidentèr, non habetur pro dogmate fidei, sed id tantum, quod dicitur contra errorem, quem Concilium intendit damnare. Quiddam addunt To simul in definitione Concilii idem significare ac pariter, sicut Ps. 48. dicitur, simul, id est, pariter, insipientes, & stultus peribunt. Sed hæc interpretatio non videtur legitima; tum quia Concilium non dicit simpliciter simul, sed, simul ab initio temporis, quod significat simultatem temporis: tum quia addit, deinde humanam: sicut autem hæc particula deinde significat posterioritatem temporis, ita particula simul significat simultatem temporis. Unde standum est primæ expositioni. Cum D. Th. excusant ab errore Patres Græcos Cajet. Xystus Senens. Vazquez, Petavius, & alii contra Molinam, Suarez, &c. Caterum vix effugeret temeritatis notam, qui nunc vellet defendere sententiam Græcorum. 1. Quia nullo satis solido fundamento nititur. 2. Quia in contrarium ponderat unanimis sententia Latinorum. 3. Quia ista sententia Latinorum congruentior est locutioni istius Decretalis, & Scripturæ sacræ.

Dices: si Angeli creati fuissent cum mundo, Moyses enumerans rerum omnium creationem, de illis mentionem fecisset; atqui non fecit: ergo.

R. Juxta (Ibid. art. 1. ad 1.) Aug. t. i. de civit. c. 33. Angelos in narratione creationis mundi non fuisse prætermisso, sed significatos nomine cæli, aut lacis. Ideo autem vel prætermissi sunt, vel nominibus rerum corporalium significati, quia Moyses rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat